

hoc seculum nimilum ferax est, absolvit: sed altius intendendos ingenij nervos: attendendum lectioni: & fundamenta singulorum dogmatum religionis Christianæ, singulari cura & assiduitate ex ipsis Israélis fontibus ordine investiganda: & vim atq; usum doctrinæ inquirendum. Ex his quanta linguarum, Græcæ imprimis & Hebraicæ in hoc studio esset necessitas, quanta Philosophiæ sobriæ utilitas, quanta concinni ordinis venustas, didicit. Ex horum deniq; (ut in fascem omnia conferam) institutis cognovit, absq; Oratione, Meditatione & Tentatione, neminem unquam verum hujus studij finem attigisse. Hæc ergo & complura alia assidue non audiens tantum, sed & animo infgens, & vita ac facto exprimens Lobechius, futurus paulò post qualis esset, præceptoribus isthic suis, ac peregrinis alijs omnibus, maximè vero civibus & sodalibus suis Saxonibus ibidem agentibus, luculenter ostendit, ut nemo nisi præclarissima quæq; sibi de eo polliceri potuerit.

Tandem vero absoluto & isthic loci curriculo, cum jam ætas ipsum de quærenda sede certa & functione aliqua moneret: anno supra millesimum quingentesimum octuagesimo septimo, rursus in patriam contendit. Sicut autem Lacedæmonij filios suos quotidianis loris assuefaciebant, ut omnia asperiora ferre patienter disserent: ita se Lobechius noster sponte *παρασκευῆ*, fortunæ præparare primum cogitavit, ut ad omnes eveniūtum iactus, patriæ vel Ecclesiæ caussa paulò post experiundos, esse instructior. Itaq; Peregrinatione, (quam verè Gymnasium quoddam Tolerantiæ, Mansuetudinis, circumspectionis, frugalitatis, temperantiæ, plurimarumq; virtutum aliarum; seu ut verbo dicam, Iuvenilis impetus magistrum, Senilis consilij ministram dixeris), per Helvetiam